

1539 quibus periculis foederis plausibili nomine implicaretur : occasione utendum , neque aliorum Principum ambiguis consiliis , atque artibus fidendum , qui , Republica terra , marique oppugnata , aut alta pace fruerentur , aut minori sumptu in partem laborum , ac periculorum adscita , suas ditiones , ac regna tuerentur . Eorum , quæ a Cæsare Petro Mocenico legato dicta fuerant , meminisse : biennium cum acerrimo hoste , facto , ac tuto imperio , pugnatum esse ; quasi vero ea , quæ hoc tempore Reipublicæ acciderant , nullius momenti censenda forent : an vero hæc parvi momenti esse , Corcyram , multis hominum millibus in servitutem abreptis , crudelibus incendiis deformatam ; Illyricum , atque Epirum vastata ; Nadinum , & Lauranam amissa ; complures in Aegæo mari insulas ab hoste occupatas ; immanes profusos sumptus ; Nauplium , & Epidaurum obsidione in summum discrimen adducta ? Et adhuc incerta cunctatione tempus trahi ; certis , ac firmissimis auxiliis , non perhonorificis legationibus opem afflictis Reipublicæ rebus afferri . Hæc , atque alia complura Contarenus in Senatu percensuit .

*Venatorum
ad Vastium
& Hans-
baldum re-
sponsum .*

Tum ex Senatus decreto Cæsaris , ac Regis legatis responsum est : Nihil illorum adventu Reipublicæ honorificentius , vel optatius contingere potuisse : summas illorum Principibus , ac ipsis Senatum agere gratias ; Regum pietatem , atque mutuum erga pacem studium paribus laudibus fatis extollere non posse , quo christianæ reipublicæ attritis , atque afflictis rebus opem laturos pollicerentur : quæ a Vastio de bello administrando prudenter dicta fuerant , probare , ut temporis angustia instante anno pro defensione tantummodo bellum gereretur ; ea vero mente esse , ut neque absumpta immensa pecuniæ vi , neque insulis in Aegæo amissis , neque oppidis in Illyrico captis , agris vastatis , complurium mortalium captivitate , civium effuso cruore deterreretur : nihil prætermisurum , alacri , atque infracto animo omnia pericula subiturum , ut imperium , libertatemque defenderet : in id classem novo robore aucturum ; novos militum , ac remigum delectus habiturum ; quidquid a se proficisci posset , perfecturum . Verumtamen eo loco res esse ; ingentia adeo potentissimi hostis vires incrementa suscepisse , ut ad tantam sustinendam molem par Res-
pu-